

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2334

Auteur(s) : Clément IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Troarn, Saint-Martin (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1268, 19 mai

Lieu d'émission : Viterbe

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Grande bulle de Clément IV portant confirmation des biens de Saint-Martin de Troarn.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Sauvage René-Norbert, *L'abbaye de Saint-Martin de Troarn au diocèse de Bayeux, des origines au seizième siècle*, Caen, Chalopin (MSAN ; 34), 1911, n° XXI, p. 397-401.

Texte établi d'après a

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii Sancti Martini de Troarno ejusque fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Sancti Martini de Troarno, Baiocensis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuantes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresenciarum juste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, propiciante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, in predicta diocesi Baiocensi, villam que Troarnum vulgariter appellatur, ecclesiam Sancte Crucis, cum decimis et omnibus pertinentiis suis, in qua facitis per hydoneum vicarium deserviri, ecclesiam Sancti Egidii, cum omnibus pertinentiis suis, forum, nundinas, jurisdictionem temporalem et terras, possessiones, vineas, domos, molendina, furnos, salinas, annuos redditus denariorum et bladi et cetera bona ac jura que in dicta villa et ejus territorio monasterium vestrum noscitur obtinere ; prioratum de Cagneio, et jus patronatus quod habetis in ecclesia ejusdem loci, et vassallos, terras, possessiones, domos, vineas, annuos redditus bladi et denariorum, jurisdictionem temporalem et quicquid habetis ibidem ; prioratum (sic) de Lyon ac jus patronatus ecclesie loci ejusdem, et capellam de Crisselon, cum decimis et omnibus pertinentiis suis, et vassallos, terras, possessiones, jurisdictionem temporalem et universa bona et jura que habetis ibidem ; prioratum et capellam quos habetis in loco qui dicitur Talleville, cum decimis, terris, possessionibus et omnibus pertinentiis eorumdem, ac vassallos, terras, possessiones, jurisdictionem temporalem et universa bona et jura que habetis ibidem ; prioratum de Deserto et ecclesiam cum decimis, terris, possessionibus,

ac vassallos et cetera bona ac jura que habetis ibidem ; ecclesias cum decimis et omnibus pertinentiis suis, necnon vassallos, terras, possessiones, domos, vineas, molendina, prata, pascua, furnos, annuos redditus denariorum et bladi, jurisdictionem temporalem et quicquid juris habetis in villis sive locis et ecclesiis que Bures, Touffreville, Sannerville, Lirrose, Sanctus Paternus, Jehanvilla et Sanctus Severinus (sic) vulgariter nuncupantur ; jus patronatus quod habetis in ecclesiis de Langrumne, de Dimouvilla, de Clevilla, de Guillervilla, de Gretevilla, de Eran, de Perier, de Raimberhomme, de Moscans, de Benie, de Carevilla, de Recule, de Bello loco, de Chastel de Vire, de Chauleu, de Burceio, de Praires et de Varavilla, cum decimis, terris, possessionibus, furnis, molendinis, pratis, pascuis, annuis redditibus denariorum et bladi et jurisdictione temporali et cum omnibus juribus que in locis obtinetis eisdem ; decimas, terras, possessiones, vassallos, furnos, molendina, nemora, prata, pascua, domos, vineas, annuos redditus denariorum et bladi et quicquid juris habetis in villis de Cadomo, de Croleio, de Ranvile, de Sancta Honorina, de Cuverville, de Guibervilla, de Autheio, de Sequevilla, de Maisons, de Esmevilla, de Billie, de Cantepie, ac territoriis earumdem ; in diocesi Lexoviensi, prioratum de Sancto Salvatore de Diva et jus patronatus in ecclesia ejusdem loci, decimas, terras, possessiones, vassallos, domos, vineas, molendina, furnos, prata, pascua, annuos redditus denariorum et bladi, jurisdictionem temporalem et quicquid juris habetis ibidem ; jus patronatus in ecclesia de Onnebaut, manerium cum pertinentiis suis, decimas, terras, possessiones, vassallos, domos, vineas, jurisdictionem temporalem et cetera jura que habetis ibidem ; in illis de Han et de Sancto Sansone decimas, terras, possessiones, furnos, molendina, vineas, domos, jurisdictionem temporalem et jus patronatus quod in earumdem villarum ecclesiis obtinetis ; decimas, terras, possessiones, domos, vineas, nemora, prata, pascua, molendina, furnos, jurisdictionem temporalem et annuos redditus denariorum et bladi ac cetera bona et jura que habetis in villa que Barnevilla vulgariter appellatur ; in diocesi Sagiensi, in villa que nominatur Golet, prioratum et jus patronatus ecclesie ejusdem ville, decimas, terras, possessiones, vassallos, domos, vineas, molendina, furnos, jurisdictionem temporalem et annuos redditus denariorum et bladi et universa jura que obtinetis ibidem ; decimas, terras, possessiones, domos, vineas, molendina, furnos, jurisdictionem temporalem, et annuos redditus denariorum et bladi et quicquid juris habetis in villis que de Croceio, de Trun, de Fonteneio, et de Caisneto vulgariter nuncupantur, et jus patronatus quod in earumdem villarum ecclesiis obtinetis ; jus patronatus in capella des Mares, cum heremitagio de la Héraudière ; decimas, terras, possessiones, vassallos, domos, vineas, furnos, molendina, annuos redditus denariorum et bladi jurisdictionem temporalem ac cetera bona et jura que [habetis] in villis de Faleise, de Commeaus et de Hablovilla et pertinentiis earumdem ; in diocesi Constanciensi, prioratum cum pertinentiis suis, et jus patronatus in ecclesia de Revilla, manerium de Moyun, cum jure patronatus quod habetis in ecclesia loci ejusdem, necnon decimas, terras, possessiones, vassallos, domos, vineas, molendina, furnos, annuos redditus denariorum et bladi, jurisdictionem temporalem, et cetera bona ac jura que habetis ibidem ; in ecclesiis de Pierrevilla et de Champagnoles jus patronatus necnon decimas, terras, possessiones, domos, vineas, vassallos, jurisdictionem temporalem, annuos redditus denariorum et bladi et quicquid juris in villis obtinetis eisdem, cum terris, pratis, nemoribus, vineis, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factamque monasterio vestro professionem, fas sit, sine abbatis sui licencia, de eodem loco, nisi arcioris religionis obtentu, discedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum caucione ullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Crisma vero, oleum sanctum consecrationis altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosancte Romane sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines parrochie vestre, si eam habetis, nullus, sine assensu diocesani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum romanorum. Ad hec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis et episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni et extreme voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut eciam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justicia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea et possessiones ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias, ad quas pertinent, revocandi

libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Abeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet sumpcionis astucia seu violencia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel eorum major pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violenciam audeat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica justitia et in predictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfatione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hii fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. Ego Clemens, catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Odo, Tusculanus episcopus. Ego Stefanus, Prenestinus episcopus. Ego episcopus. Ego Simon, tituli Sancti Martini presbyter cardinalis. Ego Ancherus, tituli Sancte Praxedis presbyter cardinalis. Ego f. Guido, tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis. Ego f. Arribaldus, bazilicæ Christi Apostolorum presbyter cardinalis. Ego Ricardus, Sancti Angeli diaconus cardinalis. Ego Octavianus, Sanctæ Mariæ in Via lata diaconus cardinalis. Ego Joannes, Sancti Nicolæ in Carcere Tulliano diaconus cardinalis. Ego Jacobus, Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconus cardinalis. Ego Gottifridus, Sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis. Datum Viterbii, per manum magistri Micaelis de Tolosa, sanctæ romanæ ecclesiæ vicecancellarii, xiiij. kalendas junii, indictione sexta, incarnationis dominice anno millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, pontificatus vero domini Clementis pape quarti anno quarto.